



PORTVGALLIAE
 que olim Lusitania, nouissima
 & exactissima descriptio, Auctore
 VERNANDO ALVARO SECCO

**VIDONI. ISCA-
 NIO SFORTIAE SR-
 E. CARD. CAMER. C. Hilli statim.**

*Luiteman Vernandi Aluari industria descripti tibi ob
 gentis nosse patrumque dicimus, quibus Sfortia: hic, ho-
 mines incredibili virtute ac felicitate profecti, oes Orbis terrarum
 partes abierunt. Iste magna partem in Provincia redegerunt: in
 numerabiles ipsas, quarum aut nomen tantum, aut ne nomen qui-
 dem illam exibat, primi pacificaverunt, idque occupaverunt:
 Asiam terram beatiss. sibi stipendiarum fecerunt: re-
 meris nationes in Jesu Christi cultum, religionemque
 docuerunt. Vale. Romae XIII.
 Calendae Junias,
 Anno. M.
 ccccc.
 LX.*

OCCIDENS
 OCCIDENTALIS

MERIDIES

SEPTENTRIO

ANDALUSIA
 ZILE
 PARS

REGNI CASTELLE
 PARS

REGNI
 LEGI
 ONIS
 PARS

ORIENS

Climatis	Grati 38	quarti	finis	Grati 39	Principium	Climatis	Grati 41	quinti	et	Grati 42	finis	Grati 43	Principium	Grati 43	sexti
----------	----------	--------	-------	----------	------------	----------	----------	--------	----	----------	-------	----------	------------	----------	-------

4104

PORTUGALLIA REGNUM.

PORTUGALLIAM improprie Lusitaniam appellant, cum alioqui nec tota Portugallia Lusitaniae finibus circumscripta sit, nec totam Lusitaniam complectitur: illud tamen negari non potest, potiore Lusitaniae partem Portugalliae Regi parere. Diuiditur vero Portugallia in Transtaganam, Cistaganam, & Interamnem. Transtagana Batica partem capit, eam scilicet, quae ab Ana fluuio ad Regni limites porrigitur. Interamnem appello Portugalliam, quae est inter Durium & Minium fluuios, Regio non minus amena quam fertilis. Haec Interamnis tota extra Lusitaniam est, nisi repudiata descriptione posita, Straboni magis accedamus, qui ait, maximam Lusitanorum partem Callaicos appellatos. Huius Regionis longitudo est duodecim leucae; latitudo qua maxima est, duodecim; alibi tantum sex, aut etiam quatuor. Atque in hoc tam exiguo terrae interuallo, praeter Ecclesiam Bracarensem Metropolitanam, & Portugallensem Cathedralis, ac alias quinque Collegiatis, reperias plusquam centum triginta Monasteria, quorum pleraque redditus habent amplissimos: praeterea plus minus mille quadringentas sexaginta Parochiales, cum suis Baptisteriis, ut scribit quidam. Certè in ea parte, quae Bracarensem agnoscit Ecclesiam, octingentae recensentur. Ex qua re fertilitatem & Religionem antiquam gentis facile agnoscas. De amenitate vero quid opus est dicere, cum in ea numerata sint ultra viginti quinque millia fontium perennium: Pontes quadrato lapide elegantissime constructi, prope ducenti: portus marini sex. Quod propterea minime tacendum duxi, quia bonitas & dignitas huius Prouinciae ferè ignoratur. Huic Prouinciae adhæret ea quam Transmontanam appellant, Regio optimi tritici, generosique vini ferax, in qua est Brigantia, caput amplissimi Ducatus. Haec ex Vaseo.

Sub Portugallia hoc tempore Algarbiae regnum (quae eius pars maritima est versus Meridiem) pertinet. Eius enim Rex, se Regem Portugalliae, Algarbiae, Guineae, Aethiopiae, Arabiae, Persiae & Indiae scribit. Hoc Regnum primum circa Annum M. C. initium habuit. Ad ea enim usque tempora sub Hispaniae nomine (viti & antiquitus) censebatur. Sic autem de eo Marineus scribit; Henricus quidam Lotharinge Comes, vir in bello fortissimus à Gallia veniens, magnas aduersus Mauros res gessit. Pro quibus Alphonsus v. Castellae rex permotus, filiam suam notham nomine Tiresiam ei matrimonio collocauit. Et Galleciae partem, quae in Regno Portugalliae continetur nomine dotis assignauit. Ex eo postea matrimonio natus est Alphonsus, qui primus Portugalliae Rex est appellatus. Primus qui Vlixbonam à Mauris recepit. Quorum quinque simul regibus vno praelio superatis, quinque scutorum insigne facti monumentum posteris reliquit. Oliuerius à Marcha in Annalibus, lingua gallica aeditis, paulo accuratius huius Regni arma dipingit. Ait enim primo fuisse clipeum argenteum sine aliqua imagine, postea à deuictis quinque regibus, quinque caeruleos clipeos impositos, deinde his singulis clipeis quinque argenteos orbiculos additos, in memoriam quinque vulnerum Domini nostri IESU CHRISTI, quae illi inter praeliandum diuinitus in caelo apparuere; aut ut alij tradunt, quod quinque vulneribus mortiferis fauciatus, Deo Opt. Max. opitulante, non occubuerat.

Vide etiam Hieronymum Oforium; Marineum Siculum; & Seb. Munsterum. De huius Regni origine, lege primum caput Decadum Asiaticarum Iohannis Barri. Athenæus libro. 8. cap. 1. quaedam memorat de fertilitate huius regionis & aëris optima temperie. Huius Regni Urbem primariam Vlissiponam descripsit Damianus à Goes peculiari libello.

Lusitanorum Imperium hodie quam latissimè patet; nam ab Herculis columnis usque ad Chinam & Lequios per omnes Prouincias maritimas Insulasque adiacentes, extenditur.

